

# Franckesche Stiftungen zu Halle

**Oratio Solennis Inauguralis De Methodo Scholis  
Accommodatissima, Qua A Facilioribus Ad Diffiliciora Lenta  
Festinatione Proceditur**

**Dam, Christoph Friedrich**

**Bernburgi, [1732?]**

**VD18 13418858**

## Abschnitt

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

ORATIO  
SOLENNIS INAUGURALIS.  
VIRI

NOBILISSIMI, MAXIME PLURIMUMQUE  
REVERENDI, CONSULTISSIMI, PRU-  
DENTISSIMI, AMPLISSIMI, CLARIS-  
SIMI DOCTISSIMIQUE,

PATRONI, PROMOTORES  
AC FAUTORES

EA, QUA PAR EST, ANIMI OBSERVANTIA  
COLENDI.

TUQUE

STUDIOSAE JUVENTUTIS SEGES LAETIOR  
QUOTIDIE EXCITANDA, SPES PATRIAE RE-  
LIQUA DELICIAEQUE MEAE INAESTIMABILES.

QUOTQUOT ADESTIS, AUDITORES, OMNIUM  
ORDINUM, DIGNITATUM, LOCORUM ATQUE  
AETATUM SPECTATISSIMI, HONORA-  
TISSIMI, EXOPTATISSIMI.

**I**ta mihi cuncta euenire DEUS iubeat, vt hodie in  
hac solenni panegyri ora vestra iucundissima, fron-  
tes explicatores, omnium denique vultus in me  
vnum directos ipse mirifice gauisus de VESTRA illustri  
praesentia conspicio. Venio ad VOS, non peregrinus

A 3

ad

ad peregrinos, non hospes ad alienigenas, non exsul Romanus inter Getas Sarmatasque, sed ut cenis ad tuos ci-  
ves venit, ita ad VOS venio, immo redeo. Admiranda  
enim Summi Numinis prouidentia, VESTRAE PA-  
TRONORUM spirante benignitatis aura, insitis ani-  
mo patriae dulcissimae repetendae igniculis, clam inci-  
tantibus, fato denique nescio quo, diuino saltem, factum  
est, ut longe alia cogitantem paterni foci reciperent me-  
que sibi vindicarent. Nihil mihi istorum tribuo, neque  
enim in me est quicquam, quod hominum mentes alli-  
ciat, quod nanciscendi cupiditatem inflammet, quod oculis  
veluti hamulis attrahat. Omnia redeunt ad eum, qui  
humanarum rerum curam sibi reseruauit supremam, cu-  
jus diuini nutus acceptaeque voluntatis nisi certior factus  
esset, heu me miserum! heu infelicem ad extremas po-  
tius Oceani glacialis oras reiiciendum! Si quid praeterea  
VOBIS, VIRI PRAESTANTES, MAECENATES  
HONORIFICENTISSIMI, TRIBUO, ( VE-  
STRAE autem in me singulari benevolentiae aeternum  
debeo) hoc fere est, quod Dei hac in causa administros  
sollicita circumspectione VOS praebuistis. Faxit su-  
premus scholarum stator, JEHOUA, clipeus noster,  
adiutorium vnicum, ut fine VESTRO in schola hac  
ad

ad florentius culmen erigenda laudabiliter intento ne  
excidatis vñquam. Ego spem istam, quam de me amo-  
ris potius quam meritorum lenocinio ducti concepistis,  
si nulla alia re, certe laboribus meis, vigiliis, assiduitate  
ac constantia propositi per Dei gratiam implere cona-  
bor. Video enim probeque cognosco, quae sit VE-  
STRA omnium sententia, quo vota tendant singulo-  
rum, vt hoc Rectore demum florescere incipiat Calben-  
sis scholae status, & ex puluere, quo satis diu sepulta ia-  
cuit, tandem aliquando pristino splendore induita resur-  
gat. Ea fere communis per omnes vbiue regiones  
scholarum sors est, vt nunc spectabili aduentitiae iu-  
ventutis numero superbiant, nunc Musis pauciores alu-  
mni Musarum palaestras occupent. Quum idem fatum  
video premere hoc Reipublicae lectissimum olim semina-  
rium, incidit in mentem, quod Stratonicum Citharistam  
referunt statuas nouem Musarum Appollinisque vnam  
in schola sua erexit, in qua non plures quam duo di-  
scipuli quotidie ad discendum conueniebant, eundemque  
interrogatum, quot haberet discipulos respondisse: *oīs*  
*7ōis @eōis dādēna* hoc est: si diuina Numinia accenseas,  
duodecim mihi sunt discipuli. Evidem, quam diu coe-  
lestē numen a partibus nostris stabit, stabit autem in per-  
petuum, non despero fore serio precanti laborantique  
mihi duodecim aliquando, vel si Deo placuerit, plures  
doctri-

doctrinae meae alumnos. Ad Theophrastum audientum discipulorum accurrebant ad duo millia: ad Pythagoram sexcenti noctu confluebant. Fuerunt ista proh dolor! tempora, quibus ardor descendit bonas litteras in scholas rapuit iuueniles animos: nunc quasi nunquam didicisse fideliter artes usui foret robustiore aetate agitur.

At enim vero memini me non communis scholarum miseriae interpretem sed meliora precantem huic scholae fata huc euocatum esse atque inaugurali oratione **VESTRAM, AUDITORES**, attentionem et benevolentiam promeritum ire debere. Nemo omnium est, qui non a nouo Rectore singulare quidpiam, qui non eximium atque perpolitum expectet: nemo est, qui non vocem, habitum orationis, vultum denique et gestus, si plura non licet, obseruet. Horum omnium desiderio satisfacere ardui plane negotii res est. Non minus, de quo praecipue mihi futurus sit sermo, inter se disquiunt auditores, atque orationis argumentum anxia exiectatione anhelant. Me quidem ista', quae vulgo dicturorum animos excruciant, non torquent: de qua re praesenti loco verba faciam, non diu sollicitor. Si nihil aliud agerem, quam ut praeterita referrem tempora, quibus ipse ante duodecim et quod excurrit, annos prima in his subselliis fidelissimis paeceptoribus hausi optimarum artium

tium elementa, non ingratum audientibus fore confido. Praeceptores nominaueram, qui me hic loci insti-  
tuissent: parentes erant, filium qua decet obseruantia  
ad cineres, in quos redacti sunt et post fata a me hono-  
randi. Horum piissimis manibus hic publice possem  
parentare, nec deficeret eloquentiae, si qua apud me  
esset, ostentandae occasio. Amplissimus denique mihi  
aperiretur campus in abstrusas diuinæ prouidentiae,  
quae me his praestantissimis viris successorem destinauit,  
rationes inquirendi. Sed quis coelestia rimabitur decre-  
ta, quis sciscitabitur consilia aeternitatis omni humanae  
cognitioni imperuia? præsentia curemus, praeterita  
gratis in Deum mentibus recolamus, futura callida con-  
sideratione prospiciamus. *Vos vero beatissimi Manes! quiescere*  
*in almae matris sinu corporibus vestris, multis modis nobis estis feliores:*  
*Scio vos non tangere nec mouere posse vestris beatis sedibus has inferio-*  
*ris orbis vexatas occupationes: fruimini in aeternis spiritum coelestium*  
*domiciliis tranquilla pace, animam nunc, mox etiam corpus mirum in mor-*  
*dum recreante: nos eo ordine, quem Deus et natura præfinuit, ad bea-*  
*tam immortalitatem cuncti sequemur, postquam pariter omnes huius vitas*  
*molestias, ut *Vos exemplum præcessis, exantlauimus.**

In tanta rerum dicendarum copia quid potissimum Auditorio dignum, auribus suave, animo utile proferrem, non aequo initio patuit. Tandem muneris, ad

B

quod

quod vocatus sum cathedraeque huius, quam primum dicendi, post etiam docendi caussa concendam, attenta consideratio docuit, me ut nauta de ventis, de tauris arator narrat, ita de re scholastica omnium commodissime verba facere posse. Enarrabo igitur quid utilissimum in docenda iuuentute, cui labori huc usque vacauit, deprehenderim. Ita me meo officio continuisse et satis effecisse existimo. Dreprehendi autem nihil magis augere doctrinam, quam methodum rite ordinatam atque probatam obseruatam. Tali ratione me ipsum docendo profecisse et re ipsa verum, quod dixi, expertum esse profiteor, qui in illustris Lycei REGIS NOSTRI POTENTISSIMI ET CLEMENTISSIMI sub nomine et auspiciis egregie omnium liberalium artium cultura Halae florentibus castris ab inferiore ordine ad suprema ducis adolescentiorum Musarum velutum munia quasi deseruui.

Vos A. O. O. H. oro atque obtestor, ne aspernemini eum, qui pro tenuitate ingenii sui fandiue inertia tentat potius prodire in arenam, quam more oratorum eleganti verborum apparatu aciem instruit. Nunc vestro in me audiendo fauore nixus confidenter audeo dicere DE METHODO SCHOLIS ACCOMMODATISSIMA, QUA A FACILIORIBUS AD DIFFI-

## DIFFICILIORA LENTA FESTINATIONE PROCEDITUR.

In optimis studiis lente festinandum esse, iam dudum voce, scriptis publicis exemplisque docuerunt viri de re scholaistica vbiue terrarum meritissimi, prudentissimi. Vntis omnium Paulinus a S. Josepho Romanae eloquentiae lumen nostris temporibus splendidissimum peculiari oratione pro more suo, id est docte et eleganter hoc argumentum pertractauit. Cognouerunt nullo non tempore peritissimi quique iuuentutis Rectores atque Magistri ingens damnum adferri studiis adolescentium, si immaturo adhuc iudicio praeditis ad grauiorum disciplinarum tractationem aditus pandantur. Infelici enim sane conatu nonnulli ingeniorum architecti eruditionis tam amplae, tam diffusae, tam exquisitae hodie aedificium in suis teato operiunt, nondum iactis rite incumbentis structurae fundamentis. Liceat mihi, Auditores, antequam ad demonstrandam methodi adductae utilitatem et necessitatem pergam, damnum ex neglecto adducto canone in vniuersam rem litterariam redundans viuis coloribus depingere. Quo malo detecto eo facilius toti corpori scholastico medicinam parari posse credo. Non vero parcam ullis viribus nec pendente manu hoc vulnus tra-

B 2

etabo,

Et abo, sed prout desperato morbo solent, hanc pestem aggrediar.

Vetus sed pessima consuetudo inualuit plerorumque latinitatis magistrorum, vt cum pueris curae ipsorum commissis statim initio magna audeant, hoc modo putantes se suam institutionem omnium optime commendaturos parentibus vel agnatis in suorum profectus statis temporibus sedulo inquirentibus. Ita ad ostentationem omnia componentes psittacos non homines, facundos quidem, sed nescios quid loquantur, liberos referrunt. Parentes aliique haec videntes in sinu gaudent de filioli, breui tempore eximum eruditionis gradum consecuti, subacto iudicio atque de tali praceptorre sibi ex animo gratulantur, hunc liberalibus donationibus instruunt, eiusque sedulae institutioni porro puerum de meliori commendant. Ubi ad projectiores aetatis annos infans orator peruenit, sub hac disciplina grandiora quotidie spirare incipit, quicquid scholasticarum quisquiliarum, vti ille quidem habet, supereft, celeriter conficit et ad Academiam qui admittatur, omnium expectatione citius dignus habetur. Moderator studiorum eius non dubitat illum in pace dimittere, quia auctores omnes lectu dignissimos, Livium, Tacitum, Suetonium, Curtium, Velleium Patrculum praeterea publicis et priuatis horis absoluierit, nihil superesse inquiens, quod ex

ex suo penore ipsi conficiendum proponat. Finis denique, qui coronare opus debebat, lamentorum initium est. Postquam enim Parnassi montis iuga ascendit altius iuuenis, mirum quantum in triuiis praeparatus, inter eruditos rudis, inter Musas hospes, inter Romano sermone contabulantes elinguis plane immo mutilus et mancus in omni deprehenditur. Quae vero huius misericiae causa est? num operae et labori defuit hic perditus litterator? diligentiae loco pigritiam sectatus est? non quidem penitus negauero, sed Praeceptoris studia eius fundamento plane destituta praecipitanti et ad haec laudanti primaria culpa tribuenda est.

Hinc istae lacrymae! Non sustinuisse haec libere verba pronuntiare, nisi experientia confirmatum haberem, dari eiusmodi peruersos studiorum iuuenilium formatores, qui ex cunctis figuratae dictio[n]is generibus vnicum illud hysteron proteron omnium felicissime in praxi sua exprimere possunt. Credite mihi, AUDI[TORES], saepe numero in litterarum palaestra, qua flor[ent]issima exii, occurrisse exempla eiusmodi iuuenum, qui ex publicis priuatisque scholis ad eius loci Musas allati in philosophiae, iuris ciuilis, naturae gentiumque antiquitatum graecarum romanarumque praeceptis audiendis, orationum formis memoriae mandandis pro-

nuntiandisque plurimum defatigati erant , vix tamen,  
mirabile dictu , latine legere , ne dum pagellam proprio  
Marte elaboratam tradere poterant . Alii auctores stili  
Romani difficillimos , poetas pariter ac ceteros a capite  
ad calcem in superioribus classibus alibi perlegerant , cri-  
ticis obseruationibus adhæc multis auribus non cerebro  
exceptis , qui tamen protectuum exploratione facta ad  
imos elementariorum ordines detrudendi erant .

Quoties ego , AUDITORES , multos tam im-  
prouide hac in parte peccantes vel audio vel video , sic  
mecum statuo , aut hos plane ignorare , quae sit adae-  
quata iuuentutem instruendi methodus aut profectuum  
in suis valde incuriosos , oscitantes , alienaque transtanc-  
tes a recto tramite aberrare . Ita se res habet , facilius est  
coram vacuis doctrina pueris ex multis libris congestam  
effundere sapientiam et ampullas atque sesquipedalia ver-  
ba proiicere , quam indociles tirunculorum animos re-  
gulis syntacticis artificiose imbuere . Vti non ex quo quis  
ligno fit Mercurius , ita non omnes , quibus haec cura  
incumbit , erudire iuuentutem , exstirpare ignorantiam ,  
exsculpere docta capita , huic labori peragendo pares sunt .  
Sint ad stuporem usque erudit , sint docti , sint in omni  
re litteraria versatissimi , sint polyhistores , sint polygra-  
phi , hoc tamen in negotio cum fructu exequendo non  
raro

raro ineptient. Tantae molis est latinam condere gentem! Neque vero omnia possumus omnes atque uti solum non vnius generis, forme ac virtutis herbas producit, ita non omnes pares ingenio, viribus, docilitate nascimur mortales. Excusandi vero minime sunt, qui hanc prouinciam in se suscipiunt, mederi iuuentutis ignorantiae, licet litterarum docendarum artificio ita apti sint, ut graculus fidibus tundendis. Quod igitur ipsi nequeunt efficere, studiose omitunt, transiliunt metas, grauiora vere posthabent, leuiora amplectuntur, tirones tantum ea docent, quae profundam sapiunt eruditionem, aures titillant, sibi ipsis parum negotii facessunt. Vultis, AUDITORES, ex me plenius cognoscere, quomodo hi febriculosi mortales in latinitatis praecipue auctoribus explicandis versentur? laudabili more receptum est inter eos, priusquam manus operi admoueatur, in plures saepius horas producto praefamine vitam auctoris multis inanibus recensionibus refertam exhibere, postea exordio libri veluti scopulo adhaerescere, syllabas dimentiri, criticarum obseruationum plastra plena seiugibus aduehere, editiones inter se conferre, Grammaticis veteribus recentioribusque dicam scribere, his vel quadrinagenta vitia imputare, multa denique *as in παρόδω* tempus nihilominus fallentia, adducere. Nolite existimare, AUDITORES, me inuidiae causa conjectari eiusmodi hominum

hominum genus, aut singularem quandam sapientiam  
adfectare. Si quis vñquam, ego certe ab ostentationis  
vitio semper abhorui, meaeque mihi infirmitatis probe  
concius sum: sed ita in dissentium aequa ac docentium  
officinis instructus sum, vt fugiam ceu pestem et in aliis  
damnem *πηλαθριπταγμοσύνη*. Sed satis de hoc, fortasse  
etiam plus quam satis est, dixi: VESTRUM est AU-  
DITORES, iudicare, num quid verius dixerim: quae  
vero de hac materia dicenda supersunt, et ad methodi a  
faciliорibus ad difficultiora recte pergentis constitutionem  
pertinent, paucis expediam, ne patientissimis auribus  
nimis diuturnam molestiam creem. Mathematicam alio  
nomine appellaueris hanc methodum, quia ex huius  
praeclarae scientiae cultorum scholis deriuata omnia pae-  
ne litterariae rei ambitum peruersit. Juuat nostri aeu-  
eruditos praecipuos per definitiones, axiomata, theore-  
mata, problemata, scholia, corollaria, indissolubili nexu  
se inuicem excipientes propositiones scripta sua quam  
plurima concinnare. Non enim philosophiae solum sed  
theologiae etiam, medicinae, poeseos aliarumque disci-  
plinarum elementa methodo mathematica consigna-  
ta videoas, nec dubium est, quin successu temporis  
ad alias quoque scientias et disciplinas transitura sit haec  
laudatissima docendi scribendique consuetudo. Natu-  
ram ducem sequi, eique conuenienter viuere veteribus  
relinquod

philo-

philosophis sapientissima lex erat. Si quis in litterarum studiis sectandis hanc regulam constanter obseruauerit: nae is vituperandus non est. Ita vero natura aut potius auctor naturæ DEUS in praestandis maximis operibus versatus est, vt a simplicibus ad magis composita, a rudioribus elementis ad elaboratoria machinamenta progressum fecerit. Singulari prorsus documento ille opifex rerum, melioris mundi origo, sanctius ceteris animal ad imaginem suam effingendo summam creationi sex diebus perfectae manum imposuit, quod post angelos tanquam spiritus simplices, res creatas reliquas, unus maxime compositum ens, ex diuersissimis scilicet natura partibus, anima & corpore conflatum, homo exhibit. Quum eundem procedendi modum natura tot egregie effectis rebus; terrae frugibus procreandis, temporum vicibus ordinandis, agrorum hortorumque cultura adiuuanda præ se ferat, præterea sensim sine sensu homo, animalia plantæ crescant, Republicae pedentem et gradatim efflorescant, maiora quotidie audendo exercitus strenuus fiat, opificum labores difficultiora pensa quotidie absoluendo consummentur, quidni in litterarum disciplinis tradendis et addiscendis pari ratione feliciter lobaritur?

Praeclare igitur cum iuuentute agitur, si a primis tirocinii sui annis a natura ipsa commonstratum iter per

C

compen-

compendia, non per tot ambages, quot portulas, ianuas, vestibula, pictos orbes vulgo peragrare solet, ad Latium peritis viae ducibus instituit. Doctoris ergo scholastici non postrema cura esto methodi tenendae, analytic sit vel synthetica nil interest, vtraque enim naturalis est, tantum in triualibus studiis ordinandis caueat ab acroamatica et quodlibetaria, vti vocant, exotericam contra erotematicam et catecheticam curae cordique habeat. A facilioribus ad difficiliora progredendum esse sana ratio dictitat, nec quisquam tam ab omni humano sensu alienus est, quin intelligat, ideas rerum simplices compositionem earum et diuisionem, hanc tandem mentis operationem tertiam eamque grauissimam ratiocinationem antecedere. Prudentia didactica ceteroquin digito quasi indice monstrat ordinem in legendis primaeuae latinitatis scriptoribus obseruandum. Quamprimum igitur puer singula nomina et verba fletendi modum probe callet et paucarum regularum numerum, quo latinarum vocum compositio absoluitur, memoriae mandauit, ad familiaritatem auctoris cuiusdam Clasfici apertoris admittatur. Post huius usum diurnum nocturnumque occlusior in manus tradatur, quo expeditus periclitetur ingenii sui vires in ceteris quoque explicandis, pernoscendis, imitandis. Tandem callidus stili Romani aestimator a solutae orationis auctoriis ad poetas, non contrario itinere, vti nonnulli existimant,

mant, in illis ab historicis ad oratores, his expensis ad philosophorum scripta exemplo facundissimi Quiritium, filio Athenis litterarum caussa commoranti primum orationes suas, post vero de officiis libros offerentis, iuventutem manu ducendam esse nouerit. Reliquarum utilissimarum disciplinarum suo quaevis ordine tractatur, ita ut instrumentales vulgo dictae et theoreticae practicis fundamenti loco substernantur. Ad has addiscendas, plenius imbibendas, ingenio feliciter importandas liberalium artium cultor bigis veluti quadrigisque fausto omne tunc contendit linguarum tirocinio prius etiam legitime deposito. Hae via olim Romana pubes ad forum et rostra properabat, ut dialogi de caussis corruptae eloquentiae auctor incertus narrat : *Ille qui foro et eloquentiae parabatur imbutus iam domestica disciplina, refertus honestis studiis deducebatur a patre vel a propinquis ad eum oratorem, qui principem locum in ciuitate tenebat.* Exemplo est Tullius, qui in Laelio scribit, se a patre esse deductum ad Scaeuelam sumpta virili roga, ut quoad posset et liceret, a sensis latere nunquam discederer.

Evidem credo neminem adhuc extitisse perfectissimorum oratorum, subtilissime disputantium philosophorum, consummatae eruditionis virorum, qui non per frigidiusculas primae aetatis exercitationes, aspera multa, taediosa prouectioribus progymnasmata lento gradu ad augustissimum elegantiarum omnium fastigium

um florem eloquentiae, apicem cognitionis humanae penetrauerit. Tu vero vix degustatis litterarum rudimentis, vix auditis aliquot de stili Romani diuersitate vocibus te latinum statim putas, negligis puerorum studia, artem grammaticam ut tenuem ac iejunam cauillaris, altiores disciplinas inuolas, sublimioris scientiae cultoribus te admisces. Erras, Quintiliane, dum scribis : *Grammatica nisi oratori futuro fundamenta fideliter iecerit, quicquid superstruxerit, corruet: necessaria pueris, incunda senibus, dulcis secretorum comes et quae vel sola omni studiorum genere plus habet operis quam ostentationis.* Ecce adolescentuli nostri breui tempore sine angoribus id adsequuntur, ad quod Tu aliique ne senilem quidem aetatem sufficere existimas. Verum enim vero caue, puer, negligas puritatem sermonis latini et Grammaticae studium, quae sui contemtores grauissime solet uelisci et ne putas illo tempore a quoque istam curam deponendam esse.

Sed quorsum haec dispuo ? vt intelligent ab initio statim omnes, praefectim coetus discipulorum meorum carissimorum, qualem me in posterum ducem experturi sint, fidelem scilicet nec nisi ad commoda ipsorum promouenda intentum omissis inter docendum ineptiis omnibus cerebrosorum istorum hominum sumum et ventum plerumque magno strepitu vendentium.

Dixi pro argumento huius orationis satis, pro officio

officii religione, qua nouo muneri scholaſtico initiatuſ obſtrin gor, parum aut nihil adhuc ob materiae propositae amplitudinem. Quare a VOBIS enixe peto, AUDITO RE, vt, quae ſine impietatis crimine ſilentio praeterire non poteram, beneuolis auribus accipiatis.

Ad VOS itaque mea ſe primum conuertit oratio; VIRI NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI, PRUDENTI SSIMI, REIPUBLICAE CALBENSIS CONSULES ATQUE SENATORES SPECTATI SSIMI PATRONI AETATEM DEVENERANDI, quorum liberis suffragiis grataque animorum conſenſione ad ſpartam hanc nanciſcendam euocatus ſum. Faciam igitur, quod poſt exhibita tot beneficia ſine ingrati animi macula praetermitti nequit. Vobis ergo in vniuersum omnibus ac ſingulis gratias, non quas deberem, ſed quas poſſum, perſoluo maximas pro inſigni fauore eximiaque beneuolentia, qua me abſentem et per longum annorum ſpatium parum cognitum complexi eftis. Quid plura loquar? ſufficit in vulgus notum eſſe, me non priuato studio, non precaria opera, non turpi ambitu, nullis neque licitationibus neque pollicitationibus hunc locum mihi acquiſiuifſe. Quae cum ita ſint, quanto ſolatio afficiar dici vix potheſt, aduersis for

tasse magis quam secundis, vt fit in tali conditione mun-  
neris, fatis reservatus. Namque animum non  
despondeo, sed fortiter obuiam eo quibuscumque  
calamitatibus conscientius legitimi ad munus hoc scho-  
lasticum aditus, qui simul aditum ad diuinam opem  
cum fiducia optati euentus implorandam parat.  
**VESTRUM** autem est, prouidere, vt prouidetis, ne  
quid respublica, ne quid schola, in qua bonae ciuitatis  
aliquando futurae fundamentum positum est, detrimen-  
ti capiat. Magnum pondus accedit nostris conatibus,  
in iuuentutis emolumentum solum directis, si **VESTRA**  
salutaria consilia, negotia ac molimina scholae nostrae  
incrementa non minus quam totius vrbis respicient.  
**Quia** vero de **VESTRO** in nos scholamque nostram be-  
neuolo animo nullus dubito, non est, quod multis ver-  
borum ambagibus porrectas iam ad sustentandum manus  
sollicitem.

Quum autem negotium viri scholastici Deo ac-  
ceptum versetur non in litteris tantum tradendis sed  
animatorum cura quoque et christiana educatione salutari-  
ter instituenda nihil mihi prius nihil antiquius erit, quam  
**vt a VOBIS, VIRI MAXIME PLURIMUMQUE**  
**REVERENDI, TEque in primis INSPECTOR**  
**HUJUS**

HUJUS CIVITATIS VICINARUMQUE EC-  
CLESIARUM GRAVISSIME DIGNISSIME-  
QUE PRAESES SCHOLAE NOSTRAE MERI-  
TISSIME, consilia saluberrima, curam paternam, pa-  
trocinium, preces denique ad Deum assiduas pro incolu-  
mitate scholae cum ecclesiae commodo arctissimo vin-  
culo coniuncta efflagitem. Atque VESTRA ope eo  
magis indigere me sentio, quo imbecilliores ad explen-  
da omnia ducis gregis concreti officia me ipsum depre-  
hendo. Adeste quaeſo in id ſerio incumbentis mihi, vt  
ne quid mea culpa, quod ad temporariam et aeternam  
meorum felicitatem spectat, intercidat, vt propiori apud  
VOS accessu gauſus a colloquiis VESTRIS ſemper do-  
ctor, ab exhortationibus alacrior, a deliberationibus in-  
ſtructior diſcedam.

Circumſpicio nunc laborum meorum in collato  
munere conſortes fidosque adiutores, VIROS PRAE-  
STANTISSIMOS DOCTISSIMOSQUE Praeceptores  
Lycei huius honoratissimos. Non obſcurum VOBIS  
effe potest ex iam dictis, COLLEGAE AESTUMA-  
TISSIMI, quo animo eandem VOBIS cum vineam ingre-  
diar, ſcilicet non ut tempus otio nefarie perdam, ſed vt  
fructum feram supremo vineae Domino acceptum eique  
placeam ſoli in labore ex voluntate ipſius nunc humeris  
meis

meis imposito. Agedum coniunctis viribus in id enitamur,  
yt opus nostrum succedat in honorem DEI, Ecclesiae atque  
reipublicae commodum nostramque aeternam remuneratio-  
nem quam felicissime. Gratulor mihi maximopere de VE-  
STRA praeſentia amicaque laborum nostrorum coniunctione,  
quae sane mirum quantum recreare potest agitatos variis vexati-  
onum turbis animos in scholis desudantium. Ego amore integro,  
auxilio, precibus mutuisque amicitiae fidelissimae testimoniiſ haud  
ylli VESTRUM vnquam deero.

Venio nunc ad Vos JUVENES POLITISSIMI, Lycei  
huius alumni dilectissimi. Quibus Vos adloquar verbis? Vesta  
cauſa omniumque, qui et in posterum his in castris militabunt,  
pulpita haec hodie perorantium vocibus resonant. Vobis scri-  
tur, Vobis etiam aliquando metetur. Quod felix faustumque  
DEUS esse iubeat lectionum nostrarum initium propediem facie-  
mus. Accingite Vos nouo litterarum studio redintegratis viribus  
ingrediendo atque meo sub duetu ſtudia vefra diligenter pro-  
sequimini.

TU vero, AETERNE DEUS, niſi ſcholam nostram in-  
ſtruas, fruſtra laborant, qui eam instruunt: Fruſtra et ſummo  
mane ſurgimus et tarde residemus viuſu vefcentes laborioſo. A  
TE ſperamus auxilium, vires, sanitatem votorumque nostrorum  
omnium complementum, quia ex nobis met ipsiſ nihil boni  
valemus efficere. Da, DEUS OPTIME, bene-  
dictionem et incrementum!

